



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. XVII. An sub eadem litera plures sensus literales contineantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Abulen.
Chrysost.

Hieronym.
Origenes
Ad Heb. 13.

Augustin.
16.

In nouo te-
stamento
mysticus
sensus in-
uenitur.

Castro.

Hieronym.

Quando
mysticus
sensus ad
conuenien-
dum messi-
cæ: quan-
do efficien-
tiam ha-
beat.

Dionysius,
17.

Lutherus.
1. Petri 2.

August.

Quarto nota, mysticum sensum non tantum repetiri in veteri testamento, sed etiam in nouo, cuius oppositum putauit Abulen. q. 28. in cap. 13. Matth. & vt omittam id, quod Chrysost. dicit de ingressu Christi in Hierusalem, Matt. 21. nimirum ira Christum antiquorum prophetias impleuisse, vt alterius ipse prophetia daret initium, in quo facto mysterium etiam intelligunt Hieronymus, & Origenes, sufficiat nobis huius rei manifestum testimonium ad Hebræos 13. *Exeamus & nos extra castra.* &c. vbi Apostolus interpretatur Christum non sine mysterio extra portam ciuitatis passum fuisse. Fateor tamen in veteri testamento, quod plenum sit prophetiis, & figuris, plura esse testimonia, sub quibus mysticus sensus continetur.

Cæterum adducit Abulen. Augustinum, qui libro de utilitate credendi, cap. 3. non de Scriptura vniuersim, sed de veteri testamento solum dixit, quatuor illis modis superius enumeratis tradi, atque doceri: intellexit ergo in nouo testamento sensum mysticum non inueniri. Respondeo, primum Augustinum ibi non agere de sensibus Scripturæ, vt i. cap. probatum est, sed tradere diuersos modos tractandi Scripturam. Deinde dico, ita illud asserere Augustinum de veteri testamento, vt non neget de nouo: ideo autem de veteri mentionem potius fecit, quod hæc sensuum varietas in eo frequentior sit.

C A P. V.

Quomodo mysticus sensus utilis sit ad argumentum.

Verum enimvero, quod ad nostrum spectat institutum, certum apud omnes est, sensum litteralem ita esse manifestum, vt inde efficacissima ducantur argumenta, ad fidei dogmata comprobanda, sicut rectè admonet Alphonsus de Castro i. libro contra heres. cap. 3. contra vero sensum mysticum non ita deferuire, id quod videtur docuisse Hieronym. lib. 2. in Matth. tractans illud c. 13. de fermento, quod abscondit mulier, &c. vbi postquam applicauit ad Trinitatem subiungit: *Pius quidem sensus, sed nunquam parabola.* & dubia enigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere. In quem sensum Dionys. etiam in epistola ad Policarpum dixisse videtur: *Mystica Theologia non arguit:* imo addit Alphonsus, errasse multos volentes ex sensu mystico suam doctrinam comprobare: exempla tamen, quæ ipse adducit, sunt hæreticorum, qui litteram perversè interpretantes in suam sententiam petrahebant, & vbi erat impropria, seu metaphorica locutio, sine illa Scripturam vsurpabant. Qua ratione Lutherus ex illo 1. Petri cap. 2. *Vos autem, gens sancta, regale sacerdotium:* colligit omnes indiscriminatim Christianos sacerdotes esse ad offerendum Deo, non solum orationis, & bona opere, quæ latiori quadam significatione sacrificia dicuntur, sed etiam proprium, & verum altaris sacrificium, quod solum est sacerdotum in Ecclesia Dei consecratorum.

Verum cum mysticus sensus sit etiam ex intentione Spiritus sancti, cum de eo nobis constat, sicut in locis, vbi aut Christus Dominus, aut Evangelicus Scriptor ipsum elicit, absque dubio ita efficaciter nobis deferuire potest, atque literalis: id quod ipse etiam Alphonsus expresse notauit, & ex verbis Augustini epist. 48. deducere sibi visus est: inquit enim, *Quis autem non impudentissime ni-*

tatur aliquid in allegoriam positum pro se interpretari, nisi habeat & manifestissima testimonia, quorum lumine manifestentur obscura? Augustinus tamen eo loco non de mystico sensu, sed de literali per metaphoram, seu, vt ipse vocat, allegoriam significato, loquitur: de hoc ergo, quando obscurus est, & non constat per manifesta indicia, inquit, impudentissime pro se hæreticos illum interpretari, sequentes tantum litteræ corticem, vt in exemplo, quod ipse adducit, apparet. Donatistæ enim, qui Africæ partes habitabant, apud se esse veram Ecclesiam contendebant, in cuius confirmationem afferbant illud, Canticorum 1. *Vbi pascas, vbi cubes in meridie,* quod partim spiritualiter, nempe de Ecclesia, partim etiam ad litteram intelligentes de meridionali plaga, impudentissime pro se allegabant.

Vera est nihilominus prædicta sententia Alphonsi de Castro, cum asserit, mysticum sensum ad argumenta Theologica inutilem esse, nisi ex alio Scriptore sacro de ipso constet. Adde, vel nisi communis Patrum sententia in eum sensum, locum interpretetur: sic enim magni momenti est, sicut etiam literalis. Quia tamen, vt plurimum, de illo non ita constat, sicut de literali, in omnibus locis, ideo inutilis censetur ad arguendum, quia nobis incertus est.

Porto ipsi Scriptori sacro, testimonium antiquioris Scripturæ, quo in sensu mystico utitur, bifariam seruire potuit. Primum ad illustrandum historiam, vt patet ex dictis in disputat. 14. cap. 4. qua ratione affertur illud Osee 11. *Ex Aegypto vocaui filium meum,* & alia ibi enumerata. Deinde seruire potuit tale testimonium, quoties de sensu mystico iam antea constabat: sicut diximus de illo Exod. 12. *Os non comminuatur ex eo:* vel quando facili ratione talis sensus colligi poterat: sicut ex illo Deuteronom. 23. *Non alligabis os boni triturantis:* deducit Paulus ministros Ecclesiæ alendos esse, vt cap. 2. notauimus: atque hoc modo utilis fuit Scriptori sacro mysticus sensus ad arguendum contra omnes suæ ætatis infideles: sicut etiam sensus accommodatius utilis esse potuit optima ratione naturali confirmatus, vt disput. illa 14. cap. 5. dictum est.

DISPUTATIO XVII.

An sub eadem littera plures sensus literales continentantur.

Sub eadem littera nunquam esse, plures sensus literales, docuit Michael Medina, cap. 1.

Sub eadem littera esse plures sensus literales communis opinio fert, cap. 2.

Adhibita quadam moderatione posterior sententia probatur, cap. 3.

Solutio argumentorum vtriusque opinionis, cap. 4.

C A P. VI.

Sub eadem littera nunquam esse plures sensus literales, docuit Michael Medina.

Cum inter cæteros Scripturæ sensus literales ad arguendum præcipuus sit, superest, vt examinemus id, quod proposuimus. Plurimum enim refert nosse, an sub eadem littera vnicus tantum sensus, vel plures contineantur literales, vt sciamus eum elicere, qui nostræ disputationi magis conuenit: in præsentem vero corrouerſia, duæ tantum sunt opiniones. Prior est Michaelis Medinæ,

Medina. Medina, qui lib. 6. de recta in Deum fide, cap. 25. ex professo defendit, in Scriptura sacra eadem litera plures sensus literales nunquam designari. Pro eadem sententia refertur Adamus in praefatione super Isaiam, ubi ait: Cum sermo est de rebus divinis seu celestibus, unum tantum esse Scripturae sensum, eumque literalem. Sed mea quidem sententia aliud longe diuersum docere voluit Adamus, nempe cum Scriptura loquitur de rebus divinis, seu celestibus, non contineri sub ea litera duplicem sensum de quo antea locutus fuerat, nimirum literalem, & mysticum, sed ex his unum genere, eumque literalem. Putat enim hic auctor, iuxta historia tantum rerum creaturarum, & inferiorum mysticum sensum latere. An vero sub eadem litera sensus literalis, qui à mystico distinguitur, aliquando multiplex sit, ipse non curat. Ceterum, ut hoc obiter contra ipsum dicamus, fallitur in eo, quod negat rebus divinis, & superioribus rem inferiorem mysticè aliquando denotari, ut patet ex dictis disputatione praecedente, cap. 1.

Primum argumentum pro sententia Medinae. Suam vero sententiam primum probat Medina, quod opposita profecta videatur ex inani quodam timore: multi enim, ut defendant testimonia veteris testamenti in nouo allegata in sensu literaliter recitari, ne infirma sit historiae confirmatio, plures sensus literales eadem litera exprimi dixerunt: id tamen necessarium non est: nam interdum Evangelicus Scriptor testimonia affert in sensu spirituali, quod quia ratione historiae, & doctrinae ipsius nihil momenti auferat, disputat. monstrauimus, cap. 4. Secundo, inductione constare potest, nullum esse Scripturae testimonium, quod sub eadem litera plures sensus literales reddat. Frostra igitur de aliquo in genere id concedendum est. Tertio facit Scriptor longe aliter se gessit, quam Amantissimus: hic enim ionum verborum tantum aures percipiens calamo depingit non intelligens sensum ipsorum: ac Scriptor facit conceptus suae mentis Scriptura exprimeret voluit: ac proinde ille est literalis sensus suae Scripturae, quem ipse intellexit, & quem Spiritus sanctus designare voluit: non est autem credendum Scriptorem sacrum eadem voce varia significasse, cum id sit praeter consuetudinem recte scribentium: ergo vnicus fuit sensus literalis suae Scripturae. Quarto si sub eadem litera multi sensus literales continerentur, nihil certum ex Scriptura haberemus, nec firmo aliquo testimonio dogmata fidei comprobari possent.

CAP. I. II.

Sub eadem litera plures esse sensus literales, communis opinio fuit.

Opposita sententia communis est, quae affirmat plures sententias literales eidem literae aequae subesse. Ita docuerunt S. Thom. in hoc artic. in q. 4. de potentia, artic. 1. & in 2. d. 12. artic. 2. ad 7. Burgen. in additione super utrumque Prologum Lyran. Alphonsus de Castro lib. 1. contra haeres. cap. 1. Dried. lib. 2. de sacra Script. c. 2. Abulen. in cap. 1. Matth. q. 28. & Catherinus in lib. de Clauibus sacrae Scripturae Refertur in hanc sententiam Lyran. in secundo Prolo. Bibliorum, regula interpretandi Scripturam, qui meo iudicio id non docuit: licet enim asserat, eadem litera plures sensus literales interdum designari, affert tamen in exemplum illud 2. Reg. 7. & 1. Paralip. 17. Ego ero illi in pa-

rem, &c. quod ait de Salomone ad literam intelligendum? de Christo tamen in sensu mystico secundum quid, & literaliter simpliciter: appellat mysticum secundum quid, quia Salomon fuit figura, & symbolum Christi: literalem vero simpliciter, quia ex intentione Spiritus sancti in persona Salomonis Christus fuerit figuratus: hoc autem modo nullus negat Catholicus, sub eadem litera plures sensus ex intentione Spiritus sancti nonnunquam latere, ita tamen, ut vnus significetur vocibus, & sit primarius, alter autem rebus significatis per vocem, & sit secundarius; at vero auctores superius allegati dicunt plures esse sensus literales ipsis vocibus aequae significatos, & de his tantum controuersia proposita est, ut expresse Alphonsus, & Driedo obseruauerunt.

Praedicta tamen sententia deprompta fuit ex Augustino 12. Confessione. 30. & 31. ubi de scriptis verbis eam tradit; imo censet Moyse scribenti illa verba Genes. 1. In principio creauit Deus caelum & terram, in mentem venisse non solum quicquid veri ad eorum explicationem hominum ingenia inuentura erant, sed multa etiam alia, quae nunquam erant excogitanda, excogitari tamen poterant, cum pietate, & veritate minime pugnantia; id quod de ceteris factis Scriptoris, qui eodem spiritu scripserunt eodem modo fatetur.

Sunt etiam aliorum Patrum testimonia, quibus hoc ipsum nonnulli confirmare nituntur. Primum Hieronymi, qui in epist. 10. circa finem ad Paulinum, de Apocalypsi ita scribit: Ioannes tot habet sacramenta, quot verba: parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiae: id quod de sensibus literalibus videtur accipiendum: quod enim ad alios attinet, Scriptura veteris testamenti pluribus abundat. Secundum testimonium est Chrysostomi homil. 21. in Genes. verum cum ille de Scriptura, & de sensibus illius vniuersum, non speciatim de sensu literaliter loquatur, testimonium illius parum fauet: explicari enim potest de sensuum varietate, de qua disputatione 15. & 16. dictum est. Tertium testimonium est Basilij, qui prooemio operis de Spiritu sancto admonet expendendas esse in Scriptura sacra syllabas, literas, apices nedum ipsas voces, & orationes: hoc tamen testimonium parum probat: nam, ubi etiam vnus tantum est Scripturae literalis sensus, id fieri debet, siue ad meliorem illius intelligentiam, siue ad mysticos sensus eruendos, non in omnibus Scripturae locis, sed in multis, eiusque difficilioribus.

Rationes quoque huic sententiae non desunt. Prima est, si Deus, qui est auctor praecipuus Scripturae, ita fecundus intelligentia est, ut vnico mentis suae verbo infinita simul exprimat, cur non poterit eodem verbo scripto plura etiam significare? Secunda ratio, Deus potuit eisdem rebus plura designare, quod nullus negat, idem enim manna teste Paulo 1. ad Corinth. 10. Eucharistiam repraesentat, apud auctorem vero Sapientiae c. 16. repraesentat verbum, & eloquium Dei: cur ergo eisdem etiam vocibus plura denotare non poterit? si quidem Deo non minus idoneae sunt voces, quam res ad significandum. Tertia ratio de sumitur ex locis Scripturae, primum quidem ex obscurioribus, quos Deus ob eam causam difficiles reddidit, ut varie eos interpretaremur. Qua de causa Danielis 12. dicitur: Claude sermones, &

2. Reg. 7.
1. Para. 17.

August.

Expressa
Augustini
sententia
Genes. 1.

4.
Fauet Hieronymus.

Chrysost.

Basilius.

5.

1. ad Cor.
10. Sap. 16.

Deus obscurus
locus
ut varie interpretaremur
Dan. 12. Hier.

signa

signa librorum usque ad tempus statum plurimi pertransi-
bunt, & multiplex erit scientia: in quem locum Hie-
ronymus ait: Precipis, ut inuoluat sermones, signet
librum, ut legant plurimi, & querant historie veritatem,
& propter obscuritatem magnitudinem diuersa opinentur.
Deinde ex aliis locis, sub quibus cogimur plures
sensus literales assignare, quos inferius sigillatim
examinandos prætermittito.

CAPVT III.

Adhibita quadam moderatione posterior
sententia probatur.

Hæc sane posterior sententia propter Augusti-
ni auctoritatem apud Scholasticos recentio-
res, & Scripturæ interpretes primò locum merito
obtinuit. Conabor igitur eam defendere, adhibita
tamen quadam moderatione, ne dum Scripturæ
secunditatem commendare cupimus, licentiam
minimè interpretandi mentem Spiritus sancti
tribuamus: in cuius explanationem duo sunt nobis
obseruanda: vnum est, hæcenus definitum non
esse ab Ecclesia, plures sensus literales eidem li-
teræ aliquando conuenire: & quoniam Patres non
sane fructu spiritualis doctrine ad Ecclesiæ ædifi-
cationem aliquos locos varie interpretentur, &
vniuersique suo modo mentem Spiritus sancti
conetur inuestigare, imò idem Doctor variis mo-
dis eundem locum explicet, nullus tamen Patrum
præter Augustinum hæcenus affirmavit, eos
omnes sensus ex intentione Spiritus sancti eidem
literæ subesse: nam Hieronymus, quem pro se-
cunda sententia referebamus, non loquitur de
literali, sed de mystico sensu, qui dicitur sacramen-
tum, vel mysterium, & ideo dixit in eo libro
Apocalypsis tot esse Sacramenta, quot verba: ne-
que vero opus est his sensibus vetus testamentum
magis abundare: vel si loquitur de sensu literali,
propheta tamen, quem merito Sacramentum
appellat, per exaggerationem dixit sub singulis
verbis multiplices latere intelligentias ad com-
mendandam secunditatem reuelationum vnius
libri, itaque cum non apparet manifeste legitimus
sensus, & verus alicuius loci, quem Patres varie
exponunt, ita suspicere debemus varias eorum
interpretationes, quæ nihil doctrinæ sanæ habent
contrarium, ut tamen certo non affirmemus, hanc
potius, quam illam esse iuxta mentem Spiritus
sancti: ut probabiliorum autem aliquam ex illis
licebit potius, quam aliam amplecti.

Hoc plane docuit Augustinus 2. de doctrin.
Christiana cap. 27. his verbis: Quando ex eiusdem
Scripturæ verbis non vnum aliquid, sed duo, vel plura
sentimur, etiam si latet quid senserit ille, qui scripserit,
nihil periculi est, si quadlibet eorum congruere veritati, ex
aliis locis sanctarum Scripturarum doceri possit: quasi
dicat, hoc solum licere, cum de mente Scriptoris
certo, & determinate non constat. Quod ergo
aliquis locus à Patribus varie exponatur, non ideo
censeri debet variis sensus ex intentione Spiritus
sancti contineri, sed eos tantum probabiliter à
Patribus assignari: qua ratione merito dixit Hie-
ronymus paulo ante citatus, Ideo locos diffici-
liores in Scriptura relictos, ut propter obscuri-
tatis magnitudinem studiosi diuersa opinarentur,
non dixit, ut certo diceretur varios sensus, sed ut
diuersa opinarentur. Hæc sane Scripturæ diffi-
cultas, & studium exercitat addiscendi, & ipsam
admodum commendabilem reddidit, ex quo apparet

id, quod asserabatur in tertia ratione pro secunda
sententia nihil ponderis habere: neque enim ali-
quis negat, eundem locum variis sensibus fru-
ctuose posse illustrari, sed qui primam sequuntur
sententiam, solum contendunt, vnum tantum
sensem literalem ex intentione Spiritus sancti sub
eadem litera contineri: Quare id solum efficaciter
probare potest secundam sententiam, si idem
testimonium ad diuersa historice significanda in
Scriptura referatur, vel definitione Ecclesiæ, vel
communi sententia Patrum duplex sensus litera-
lis esse dicatur.

Deinde obseruandum est, nullum esse sensum
literalem, quem auctor Scripturæ non solum
precipuum, qui est Deus, sed etiam Scriptor non
intellexit, de symbolico autem, & mystico non
item: atque id voluit August. lib. 12. confess. c. illo
30. & 31. quem in 1. cap. allegauimus, & ratione
probatur, quoniam Scriptor sacer non fuit sicut
amanuensis, qui dictata solum exciperet, non in-
telligens sensum verborum, sed conceptiones sue
mentis scripto exprimere voluit; atque eo pacto
verba usurpauit, ut præteritum, aut etiam futurum
posteris significaret, aut salutaria documenta præ-
beret. Quod si Spiritus sanctus aliis verbis vo-
luisse exprimere, quam Scriptor intelligebat, vel
in totum, vel ex parte, Scriptor fuisset Amanuen-
sis, & irrationale quoddam instrumentum diuini
Verbi, quod est absurdum, & hoc concedendum
censio primæ sententiæ, quod adimpleri in tertia
ratione.

Neque vero oppositum docuit S. Thomas 2.
2. q. 17. art. 4. & Caietanus ibidem; ipsi enim eo
loco solum disputant de Prophetis, an semper
cognouerint id quod prophetabant, & optime
docent, Prophetas aliquando non omnia cogno-
uisse, quæ in eorum visis, factis, aut verbis Spiritus
sanctus intendebat; eo quod mens Prophetæ sit
instrumentum deficiens Ex qua doctrina, contra
id, quod hæcenus diximus, nihil colligi potest;
hoc enim idè verum est, quia non omnia distin-
cte, & sigillatim Prophetæ cognoscebant; hinc
tamen non fit, aliquem esse sensum literalem,
præter intentionem ipsius Prophetæ scribentes;
ipsi enim omnia nota fuerunt confusè, & in gene-
re. Cetera autem, quæ ibi docet B. Thomas, non
sunt intelligenda de sacro Scriptore, sed de iis,
qui verbo suo aliqua prophetarunt, cum reuera ea
non cogitassent, sed alia longe diuersa: sicut fuit
illud Caipha, Ioan. 11. Expedit vobis, ut vnus moriatur
homo pro populo, & non tota gens pereat. Patet quidem
S. Thomam in hoc articulo ideo diuise, posse esse
plures sensus literales sub eadem litera, quos ex
intentione auctoris inquit esse debere, quia auctor
Scripturæ est Deus: non dixit, quia Scriptor plures
illos simul intelligere, & intendere poterat; id ta-
men nõ negat. Verum enim vero in hac re nimis
videtur fuisse Augustinus 1. confess. c. illo 30. & 31.
(quod salua reuerentia tanto Doctori debita dixe-
rim) concedens omnia, & singula vera, quæ quis-
que posset sub vna litera intelligere, ad sensum li-
teralem pertinere. Difficile enim credidit apparere,
voluisse Deum homini historiam sacram scribere,
tot tamque varia reuelare, & ut ea simul signifi-
carent, ipsum ad scribendum impulisse.

Quare ergo quidem existimo, sub eadem litera
plures sensus literales aliquando contineri, quo-
ties ainitum probabile est, Scriptorum sacrum
omnes

Thom. 2. q. 17. art. 4. & Caietanus ibidem; ipsi enim eo loco solum disputant de Prophetis, an semper cognouerint id quod prophetabant, & optime docent, Prophetas aliquando non omnia cognosuisse, quæ in eorum visis, factis, aut verbis Spiritus sanctus intendebat; eo quod mens Prophetæ sit instrumentum deficiens Ex qua doctrina, contra id, quod hæcenus diximus, nihil colligi potest; hoc enim idè verum est, quia non omnia distincte, & sigillatim Prophetæ cognoscebant; hinc tamen non fit, aliquem esse sensum literalem, præter intentionem ipsius Prophetæ scribentes; ipsi enim omnia nota fuerunt confusè, & in genere. Cetera autem, quæ ibi docet B. Thomas, non sunt intelligenda de sacro Scriptore, sed de iis, qui verbo suo aliqua prophetarunt, cum reuera ea non cogitassent, sed alia longe diuersa: sicut fuit illud Caipha, Ioan. 11. Expedit vobis, ut vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Patet quidem S. Thomam in hoc articulo ideo diuise, posse esse plures sensus literales sub eadem litera, quos ex intentione auctoris inquit esse debere, quia auctor Scripturæ est Deus: non dixit, quia Scriptor plures illos simul intelligere, & intendere poterat; id tamen nõ negat. Verum enim vero in hac re nimis videtur fuisse Augustinus 1. confess. c. illo 30. & 31. (quod salua reuerentia tanto Doctori debita dixerim) concedens omnia, & singula vera, quæ quisque posset sub vna litera intelligere, ad sensum literalem pertinere. Difficile enim credidit apparere, voluisse Deum homini historiam sacram scribere, tot tamque varia reuelare, & ut ea simul significarent, ipsum ad scribendum impulisse.

August.

Hieronym.

Augustinus.

Sensus litera-
lis, non solum
à Spiritu
sancto, sed etiam
à sacro Scrip-
toris inten-
tione pñda.

S. Thom.
Caiet.
Prophetæ
non omnia
de quibus
Prophetæ
bñ. parati.

B.

August.

Quidò sub
vna litera
sint plures
sensus litera-
les.

omnes intellexisse, & contextui Scripturæ suæ recte conueniunt: talis itaque debet esse rerum conuenientia inter se, & cum ipsis vocibus, vt vnam, & aliam significare, eidem literæ, & contextui dissonum non sit. Hoc pacto censerem in illo loco Isaïæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* duos sensus literales contineri, & generationis æternæ, & temporalis: vtrique enim ita admirabilis est, ac proinde quo ad hoc vnam, & eandem subire videtur rationem, vt admirans Propheta merito dixerit, *Generationem eius quis enarrabit?* Optime autem vtrumque sensum contextui conuenire, sequenti disput. videbimus; vbi plures alios locos Scripturæ examinabimus, sub quibus videntur plures sensus literales contineri: & hoc temperamento adhibito, veriorum existimo posteriorem illam sententiam.

De mystico vero non est eadem ratio, cum rebus ipsis, non verbis proxime significetur. Quare Spiritus sanctus potuit mysticum aliquem sensum intelligere, quem facer Scriptor minime sit affecutus. Scriptori enim, qui non tantum excipiebat dictata, sed etiam conceptum mentis suæ exprimere volebat, satis fuit vt vocibus ipsis ad significandum, etiam si rebus ad eundem effectum non vteretur: ad supremum namque auctorem, qui scriptorem mouit, spectauit, ipsis etiam rebus in historia narratis, aliquid amplius posteris denotare. Quocirca necessarium fuit, vtrūque sensum, literalem scilicet, & mysticum ex intentione Spiritus sancti eidem literæ subesse, etiam si Scriptor solum nouerit literalem.

CAPVT. IV.

Solutio argumentorum vtriusque opinionis.

Ed quia relicta priori sententia adhibito temperamento, posteriorem secuti sumus, satisfaciendum est rationibus vtriusque, quæ contra nos pugnare videntur. Ad primam Mediæ respondeo, non tam ex illo timore, quem suspicatur hic auctor, quam propter auctoritatem Augustini posteriorem sententiam apud plures, & primarios obtinuisse: neque enim opus est, vt ea, quæ in nouo testamento allegantur, etiam si addatur illud, *Vt adimpleretur*, in sensu literali recitentur; satis est, vt aliquando in sensu mystico intelligantur, vt disp. 14. dictum est.

Ad secundam rationem dico, non esse tot locos in scriptura, quot aliqui communiter existimant, vt sequenti disputatione videbimus, qui plures sensus literales contineant: sunt tamen aliqui, ex quibus vnum iam præcedenti c. recitauimus.

Tertia ratio optime probat id, quod superius in secunda notatione dictum est, nimirum ita concedendos esse sub eadem litera plures sensus literales, vtamen non sint nimium diuersi, & parum coherentes: hoc enim videretur potius vitium Scriptoris, quam fecunditas doctrinæ. Sensuum autem varietas modo prædicto nil roboris tollit Scripturæ, ad probandum dogmata fidei nostræ. Ceterum valde notandum est locos Scripturæ, ex quibus mysteria nostræ religionis præcipue pendent, nihil habere obscuritatis ex multiplici sensu sub eadem litera, licet aliqui difficiles sint propter variam lectionem.

Ad rationes vero secundæ sententiæ facile etiam responderi potest, & in primis testimonia Patrum c. 3. explicata manent. Ad primam autem rationem

Vasquez, in 1. part. Tom. 1.

dico, quantis Deus fecundis sit intelligentia, vt possit vno verbo multa, & maxime diuersa exprimere; id tamen facere noluit, quoniam Scriptura solum utebatur, vt nobiscum loqueretur, & res gestas, aut mysteria hominibus significaret. Significatio autem pensari debet non ex fecunditate loquentis, sed ex audientium capacitate, alioqui qui non se accommodaret audientibus, reprehensione dignus esset: & quamvis ob rationes superius dictas plures locos obscuriores in scriptura Deus reliquerit: saltem non debuit præter consuetum morem tam diuersa, & minime coherens eadem Scriptura denotare. Accedit quod Scriptore sacro Deus utebatur, vt instrumento ratione, & intelligentia prædito, qui ea, quæ mente intelligebat, more hominum scripto significabat. Quare tam varia, & minime conuenientia eadem Scriptura exprimere non debuit, vt secunda opinio contendit.

Ad secundam rationem respondeo, non esse eandem rationem rerum, & vocum ad significandum; voces enim accipiuntur secundum vulgarem, & communem apud omnes significationem, ex quibus oratio etiam eo modo componi debet, vt contextui eorum, quæ narrantur, optime quadret: consuetum vero non est, eadem oratione tam varia, & minime coherens significari: res autem non significant apud omnes ex vsu vulgo recepto, sed prout quisque voluerit, potest rebus hoc, aut aliud denotare: tum etiam significatum per voces debet esse audientibus manifestum: at rerum significatum est reconditum: ideoque mysticus, & spiritualis sensus dicitur. Ex eo igitur, quod rebus plura maxime diuersa, & minime coherens denotentur, non sit, vt vocibus etiam significari debeant.

Ad priorem vero partem tertiæ rationis de locis obscurioribus, quos varie Patres interpretantur c. 3. satis dictum est: ad posteriorem vero de locis, in quibus cogimur plures sensus concedere, sequenti disputatione dicemus.

DISPUT. XVIII.

Expenduntur varij loci.

Notationes quadam. cap. 1.

Locus Psalmi 2. *Dominus dixit ad me. cap. 2.*

Locus Genes. 1. *In principio creauit Deus. cap. 3.*

Locus Danielis 9. *Et erit in templo abominatio. cap. 4.*

Locus Isaïæ 13. *Languores nostros. Ec. cap. 5.*

Locus Isaïæ 53. *Generationem eius quis enarrabit? cap. 6.*

CAPVT. I.

Notationes quadam.

Reliquum est, vt examinemus nonnullos Scripturæ locos, quibus plures sensus literales subesse putant, qui secundam sententiam in præced. disp. secuti sunt. Pro explicatione tamen eorum, quæ dicemus, præmittendum est primum, frustra à quibusdam eos locos afferri, qui propter variam lectionem diuersos etiam literales sensus continent: sic enim eidem literæ non multi sensus assignantur, sed idem Hebraicus textus diuerso modo translatus varia significat: nunc autem inquirimus de variis sensibus literalibus sub eadem omnino litera, & lectione. Translationis autem varietas multis de causis accidere solet: quacunque vero ratione sit introducta, etiam si in ipsamet vulgata editione inueniatur, de ea præsens controuersia intelligenda non est.

G

Quatuor

Isaia 53.

10.

Mysticus sensus non necessarius patet sacro Scriptori.

Solutio primam Mediæ Argumentum.

Secundæ solutio.

Ad tertium respondetur.

Sensus literales oportet coherere, esse.

Solutio prima ratio pro secundæ sententiæ.

12.

Solutio secundæ rationis.

13.